



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 24. Querelæ Archiepiscopi a Nuntiis confutatæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. XXIV.

Sæcul. XV.
A.C. 1461.*Querelæ Archiepiscopi a Nunciis
confutatae.*

Ad has Dietheri criminationes Rodolphus Papæ Nuntius respondit in hæc verba: jussus est Archiepiscopus ad Curiam accedere pro veteri consuetudine; nihil ab eo pecuniæ quæsitum pro confirmatione suæ sedis, præter id, quod in Camera Apostolica passim exigi solet, videlicet decem millia nummum pro diplomate, & quatuor millia pro *minutis*, ut vocant, *servitiis*, literarum expeditione & oratorum sumptibus; ceterum ipse ultro concessit, ut in suo Electoratu indulgentiæ promulgarentur, ac decimæ colligerentur; cum vero partem earum in sui compendium reservare vellet, merito Papa sacrilegum hoc furtum exhorruit, & destinatum in opus fidei pecuniam eidem relinquere nefas existimavit, necnon conscientiam sibi duxit, ut ea, quæ Deo debentur, ad privatos usus transferantur. Præterea Archiepiscopus tali iudice, qui non habet in terris superiorem, & ad eum, qui nullibi existat, inique provocavit, tali usus effugio, quod eo unice collimat, ut impunita permaneant scelera, quamvis ejusmodi frivolæ appellationes jamjam promulgato edicto

Sæcul. XV edicto fuissent prohibitæ. Quod vero
A.C. 1461. indulgentias attinet, respondit Rodul-
 phus, eas de communi ejusdem Con-
 ventus assensu eo sine decretas esse, ut
 ex illis pecuniæ ad bellum Turcicum ne-
 cessariæ expenderentur, de cetero ab in-
 vitis nullas elemosynas exigi, ac propter-
 ea liberum esse Germanis ajebat, Reli-
 gioni opem ferre, si velint; consulerent
 tamen sibimet ipsis, cum meliori modo
 contra communem fidei hostem haud
 tueri se possent. Principes Rodulphi
 oratione, ac rationum momentis persuasi,
 conventum solvunt, nihil tamen eorum,
 quæ Dietherus postulabat, concedunt.

§. XXV.

*Provocatio ab Archiepiscopo revocata,
 ejusque perfidia.*

Archiepiscopus spe sua dejectus, Apo-
 stolicos Nuntios sibi reconciliare con-
 stituit, atque appellationem suam, coram
 testibus & Tabulario revocavit. Verum
 majorem eidem molestiam, ac pudore
 creabat, suam provocationem
 retractando, quam semel appellando.
 Eandem quoque palinodiam canebat
 paucis ante diebus Fridericus Comes Pa-
 latinus Rheni, ambo tamen datam fidem
 fefellerunt, nihilque eorum, quæ promi-
 serant, opere executi sunt; Archiepisco-
 pus